



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

107 Humiliatus sum vsquequaque Domine: viuifica me secundùm verbum  
tuum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

fiderium necessarium est, vt legem ser-  
 uem aduersus quam lex membrorum, quæ *Rom. 7.*  
 intima est, & innata tā pertinaciter & cō-  
 cupiscit, & pugnat, imò & captiuat. Nec  
 leuia proposita, aut imperfectæ volunta-  
 tes, seu velleitates sufficiunt, ne cadamus in  
 id, quod valemus; si id, quod nondum va-  
 lemus, non tantum volumus, quantum sat  
 est, vt valeamus. Et scimus te, cum  
 hostes populi tui Philistæos terrere Domi-  
 nus voluisses, fragore magno intonuisse. *1. Reg. 7.*  
 Quia tepida desideria nostra hostem nec  
 prosternunt, nec fugant: fragor autem  
 magnus, id est, feruor sancti desiderij, qui  
 à te immittitur, hic spiritualem hostem  
 debellat.

107 Humiliatus sum vsquequaque Do-  
 mine: viuifica me secundum ver-  
 bum tuum.

ET quidem in afflictionibus, quibus *Iusti hu-*  
 valde afflictus sum, in tua misericordia *miliatio*  
 speravi quia promissis tuis confortatus *maxima*  
 sum, per quæ sperantibus, & clamantibus *lex mem-*  
 ad te liberationem, & vitam pollicitus *brorum.*  
 es. Sed quæ maior humiliatio, quam vt in  
 me sentiam, vnde carne seruiam legi pec-  
 cati? Certè humiliatus sum nimis, & in *Psal. 115.*  
 excessu, & pauore meo dixi. Omnis ho-  
 mo mendax: quia saluare non potest. *Rom. 7.*  
 Quis ergo me liberabit de corpore mortis  
 X 5 hu-

huius, nisi gratia tua? ne ibi fiat seruitus in tam periculosa pugna, vbi debet esse dominatus, sed præualeat spiritus à te viuificatus. Ideò quippe dixi Viuifica: quia hæc pugna mihi amarissima mors est. Viuificabis autem spiritu tuo, qui est vita ipsa, vt vitales actiones faciam. Secundum, inquam, verbum tuum, quo promisisti daturum te spiritum bonum petentibus. Spiritum rectum Domine da mihi: ita fiet, vt de spiritu tuo viuam.

*Luc. 11.*

108 Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine: & iudicia tua doce me.

Voluntaria oris, quia ex corde orata.

*Eccl. 15.*

**S**ANE os meum, & lingua mea, quam fecisti, ad laudandum te, resonant magna tua, gratiarum actiones, benedictiones, & iubilationes, nec cessant etiam per os omnium creaturarum laudare te. Sapientia enim terræ adstabit laus, & in ore fidei abundabit. Sed, quæ ore profero, ex intimo cordis sensu proficiscuntur; & corde magno, & animo volenti offeruntur, ideò voluntaria oris mei appello. Ea Domine beneplacita fieri cupio, id est, vt integrè placeant in conspectu tuo: vt sit voluntas, approbatio, & complacentia tua in eis. Sic ea respice quasi quæ in oculis tuis grata sunt. Sed quoniam vox Hebræa, & voluntaria significat, & spontanea, & libe-

rali-